

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 3667

**Auteur(s) :** Eudes Rigaud, Rouen (archevêque)

**Bénéficiaire(s) :** Pontoise, Saint-Mellon (collégiale)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1266, 13 juin

**Lieu d'émission :** Paris

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Avec le consentement de Louis [IX], roi de France, l'archevêque Eudes de Rouen institue le doyen à l'église Saint-Millon de Pontoise en convertissant la trésorerie de ladite église en doyen. Le roi attribue au doyen une des prébendes de l'église.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 715, p. 158.

Texte établi d'après a

Universis presentes litteras inspecturis, frater Odo permissione divina Rothomagensis ecclesie minister indignus, salutem eternam in Domino Ihsu Xpisto. Ad noticiam vestram volumus pervenire quod, cum ecclesia beati Melloni Pontisarensis, Rothomagensis diocesis, cujus ad nos jurisdictio et ordinatio pertinere noscuntur, neminem in se haberet prepositum, qui cure animarum ecclesie ipsius intenderet, nos videntes ibidem unicam dignitatem que thesauraria vocabatur, cui thesaurarie nulla erat prebenda adjuncta sive subtrata, consensu et voluntate excellentissimi domini Ludovici, Dei gratia, regis Francorum illustris, ejusdem ecclesie patroni, thesaurariam illam in decanatum convertimus, ita ut qui prius thesaurarius vocabatur predicte ecclesie de cetero re et nomine sit decanus, cui quidem predictus dominus rex unam de prebendis ecclesie adjunxit, ita ut de cetero decanus esse non possit qui aliquam prebendarum non obtineat in eadem, et hic quidem decanus tenebitur per juramentum proprium esse sacerdos et jugem residenciam facere in ecclesia supradicta. Habebit etiam curam animarum canonicorum et vicariorum et clericorum frequentancium ibi chorum, et quoniam dictus dominus rex, utpote persona laica, non potest curam animarum conferre, eandem personam nobis et successoribus nostram ad curam presentabit predictam, sicut presentat ad alias curas in prefata dyocesi existentes. Insuper quoniam ratione thesaurarie thesaurarius tenebatur ad quedam in predicta ecclesia facienda sive reficienda sive reparanda, idem decanus ratione beneficii sui eadem onera subibit et easdem obligationes ad ecclesiam, ad que vel quas thesaurarius tempore thesaurarie tenebatur. Ad hec autem adicimus quod, cum quedam capiceria in dicta ecclesia fuerit ab antiquo, quam conferre consuevit idem decanus tempore quo thesaurarius extitit, nos volentes, sicuti nec decet divinum cultum minui neque numerum servitorum, volumus et ordinamus, ut decanus ipsius ecclesie, qui pro tempore fuerit, ad cujus collationem dicta capiceria pertinebit, ipsam capiceriam semper conferre, quando eam vacare contigerit, teneatur persone ydonee, que in dicta deserviat ecclesia, sicut antea faciebat, et eandem capiceriam sibi seu decanatu suo nullatenus valeat aggregare. Et hec omnia, de consensu et voluntate excellentissimi dicti domini

nostri regis ordinata sunt et statuta. In cujus testimonium, presentes litteras sigillo nostro fecimus sigillari. Actum Parisius anno Domini M° CCL° XVI°, dominica proxima post festum Beati Barnabe apostoli.